

in *Ind. Gen. Personarum* Editioni Concil. *Labbeanae* praemisso. *Johannem Amalin* inter *Scriptt. Ord. Min.* excitat *Waddingus* Ministrum Provinciae *Aquit. Scotique* Operum redactorem; nil tamen de ejus vel aetate vel Episcopatu meminit. Episcopus *Aurelianensis* est *Johannes VI. a S. Michaele Scotus*, admissus ad Concilium 22. Maji a. 1433.

Fol. 2. praevio haec habentur: *Illustr. d. meus d. Leonellus estensis donavit michi hanc bibliam in festo natalis d. nostri yhesu cristi 1440. quam nomine suo portavit carolus nuuolonus. Ja. episcopus reginus. Anno itaque ante initum a Leonello Ducatum Mutinensem. Jacobus Ant. a Turre a. 1439. factus Episcopus Regii Lepidi ad sedem Mutinens. translatus est a. 1444.*

XXI. VIII. A. 38

42 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 390. f. max. per duas columnas probe scriptus, literis initialibus picturatis et auro fulgidis exhibet *Sacrorum Bibliorum V. T.* ex versione Hieronymiana Libros sequentes: *Pentateuchum*, *Josue*, *Judicum*, *Ruth*, *IV. Regum*, *II. Paralipomenon*, *II. Esdrae*, *Tobiae*, *Judith*, *Esther*, *Proverbiorum*, *Ecclesiasticis*, *Sapientiae*, *Canticorum*, *Ecclesiastici*, *Psalmodum*, quibus adnexa sunt Cantica: *Confitebor tibi Domine. Ego dixi in dimidio. Exultavit cor meum. Cantemus Domino. Domine audivi auditionem. Audite Coe-*

*li. Benedicite omnia opera. Te Deum laudamus. Benedictus Dominus Deus. Magnificat anima mea. Nunc dimittis. Symbolum dictum Athanasii. Hieronymi Praefationes ubique praemittuntur. Nullae Capitum inscriptiones, sed divisiones Textus arbitrariae. Genes. III. v. 15. legitur: Ipsa conteret &c. Liber Esdrae II. hanc praefert rubricam: Verba neomie filij elchie. Proverb. XXIX. versus ultimi particula: Verbum custodiens filius extra perditionem erit, desideratur, et post initium Cap. seq. Verba congregantis filii vomentis, interjicitur minio: huc usque parabole salomonis quas transtulerunt viri ezechie regis iude. Scriptoris inscitiam testatur fol. 322. epigrapha Canticorum: Incipit Cantica Canticarum quod grece dicitur Syrafsyrim. Fol. 341. Ecclesiastico adfuta est Oratio salomonis paululum immutata ab ea, quae Reg. III. c. 8. et Paralip. II. c. 6. legitur. Codex hic in *Lelongii Bibliotheca sacra* non comparet.*

XXII. VI. A. 12

Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 229. f. max. eleganter scriptus, et literis Librorum initialibus auro coloribusque decoratis quasdam sacrorum *Bibliorum* Partes V. T. complectitur e vulgata interpretatione, minus tamen diligenter a Calligrafo exaratas, ita, ut hinc inde quaedam a currente manu in marginibus suppleri debuerint. Praemittitur *Epistola nota Hieronymi ad Paulinum;*

tum Libri sacri hoc ordine sequuntur: *Pentateuchus. Josue. Judicum. Ruth. IV. Regum. II. Paralipomenon. Esdrae I. Nehemiae. Esdrae H. (i. e. tertius) Tobias. Judith. Esther. Job. Psalmi*, quorum primo ejusmodi praetexta est inscriptio: *Tytulus primi psalmi est psalmus probemialis besdre illius iudei qui collegit omnes psalmos dauidis ad inuicem. est enim iste psalmus sicut probemium.* Et sic quavis pene *Psalmus* prolixius argumentum miniatum praefert. Libris omnibus Praefatio *Hieronymiana* in fronte est, excepto *Psalterio*, quod primo Epistolam *Hieronymi ad Sopbronium*, quae incipit: *Scio quibusdam psalterium in quinque libros esse divisum &c.* dein alterum Prologum: *Psalterium Romae dudum positus emendaram &c.* ad calcem subnexus habet. Finem *Codici* imponit *Oratio Manassis*; unde Pars altera *Biblicorum* a nostra distracta videtur. Praetermisit eam *Lelongius* in *Bibl. S.*

XXIII. VI A 3-8

3-4-5. Codex membraneus german. Sec. XV. ineuntis, nunc Tomis VI. constans, Föl. max. multo auro, innumerisque figuris ac parergis, partim sacris, partim vero profanis, sed argumento parum congruentibus, magnificentissime exornatus, jussu et sumptibus *Wenceslai* Rom. Imp. Regisque *Bohemiae*, qui memoriam *Pragensis* custodiae, et beneficii a *Susanna* balneatrice, cujus opera evaserat,

accepti hoc loco parum hercule decenter extare voluit. Egit de iis picturis et ornamentis tam accurate non calamo solum, sed figuris etiam aeri incisus Cl. *Lambecius Comment. L. II. a pag. 749. edit. vero Kollar. a Col. 527.* et ex eo *W. E. Tentzelius Dial. mensr. A. 1690. pag. 776.* ut hic supersederi queat. Illud duntaxat addere placet, Aquilam Imperii, quae hoc in *Codice* non semel occurrit, praesertim initio libri *Josuae*, ubi coronam leonis *Bobemici* capiti impositam unguibus stringit, perpetuo simplicem, nunquam bicipitem pingi, avem item illam, quae marginibus frequenter adpingitur, ex *Alcedinum* sive *Ispidarum* ad aquas habitantium genere esse, proindeque ad *Wenceslai* balneum pariter referendam videri.

Continetur itaque Tomo I. Foliis 240. Pars I. sacrorum Bibliorum V. T. videlicet *Pentateuchus* et *Liber Josuae*, quae in sermonem germanicum forsitan vertit *Martinus Kotlebin*, cujus fit in Prologo mentio verbis infra excerptis. Ejus Prologi inscriptio miniata sic habet: *Hie hebt sich an die vorrede vnd. der prologus vber das buch daz do beisset vnd genant ist Biblia.* Prologus est rhythmicus, tametsi non *σινδον*, sed consequenti scriptura sit exaratus. Incipit ad hunc modum: *Got got du herczen liebes gute. Czu dir hebit sich mein mut. Und rufet dich gutlichen an. wenne nyemant wol geschaffen kan. An dich wil yemant icht*